



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von**

**Erfurti, 1675**

XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

consulturus acidulas in Swalbaco biberet, ibi transactio completa est. † Legati obedientiæ leges Urbi referunt, at Senatus non illas, sed Commissionem Cæsaream divertere intenderat, quo voto cum se potitum crederet, rursus pro arbitrio agere, jura Domini invadere, & loco decretarum Precum convicia dicere, Swalbacensia pacta quasi ultra mandati limites inita revocare.

Electoꝝ illusionum impatiens rursus Cæsarem interpellat: vellet in Erfurtenſium attentata inquirere, ac tandem imperare licentiæ fines, quos impunè transgredi non auderent. † Cæsar Imperator Consiliario suo Baroni Schmidburgio negotium mandat. Augustano ritui is addictus: non renuit Electoꝝ qualemcunque in justitia tam aperta Judicem: † Iste Limplechtum in Curia restituit, tribunitia potestate, quam ante quinquennium acceperat, iterum decretâ. Quinque Senatorum Collegia in quatuor reducit, ne multitudine imperantium Respublica turbaretur: Haud æquo affectu hæc excepta: Alii Moguntinis artibus imputabant: exerceri dominatum, reformari Curiam, ejici alios hos obtrudi, ea agi, ut intelligat quisque, potestates ex favore Moguntino pendere; Id autem ut libertati, sic potissimum Democratia nocere, quæ non violentum, non eminent, solum commu-

*Ab urbe  
infringitur.*

XII.

*Schmid-  
burgius à  
Cæsare le-  
gatur.*

*Limplech-  
tum restituit.*

XIX.

*infringitur.*

*Preces ur-  
get Elector.*

*Formulam  
proponit.*

*Ea verbo  
solam im-  
mutato re-  
cipitur.*

**XIV.**  
*Incendium.*

nitatis arbitrium ferat. Elector in utilitatem Urbis civile regimen olim à majoribus suis ordinatum asserit, ideo rectè pro majori ejus incremento mutari. Civitas rei judicatae, transactionibus obtemperaret, † imperatas sæpius preces pro Domino funderet, id esse, quod peteretur, nil contra veterum Instituta, nil in præjudicium libertatis flagitari. Non preces amplius negatae, sed de formula earum disceptatum est. Multae utrimque propositae, tandem Elector hanc exegit: † *Precamur Deum nobis dilectum pro Eminentissimo Electore Moguntino, tanquam Domino nostro Clementissimo, & ejus Archiepiscopatu, Omnipotentia sua ipsum in statu prospero conservare, ejusque consilia ita ducere, & regere velit, ut ea tam ad conservationem constantis quietis publicae Imperii, quam felicem compositionem eoque extortarum dissensionum, ad nostram, nostrorumque Posterorum omnium tranquillitatem & salutem pertingant.* Preces hæ Senatui, Curatoribus, Tribulibus propositae, vota Limprechtus & supremus Consul rogat, † placuit recitandas esse, dum, ne in fraudem Republicae peterentur, Eminentissimus sponderet: Datis de his promissis, solo verbo *tanquam* placito utriusque partis omisso; preces istas recitare ministerio Senatus imperat.

Subitaneus ignis † potissima fori glastarii & parochiae Divi Bartholomæi, in hujus Divi Festo, prostravit: Erupit ex pistrina, quæ minori lanceæ adjacet, incertum